

ne aptius dicitur, quādo ad eā tota pertinet, signiferi modo inuentionibus non dilatis. Obliquitatem eius intellexisse, hoc est, rerū fores aperuisse, Anaximander Milesius traditur primus olympiade quinquagesima octaua. Signa deinde in eo Cleostratus, et prima Arietis ac Sagittarij. Sphæram ipsam ante multo Atlas. Nunc relicto mūdi ipsius corpore, reliqua inter cælū terrasq; tractentur. Summū esse quod vocāt Saturni sidus, ideoq; minimū videri, et maximo ambire circulo, ac trigesimo anno ad breuissima sedis suæ p̄cipia regredi certum est. Oīum autem errantium siderum meatus, interq; ea solis & lunæ, contrariū mūdo agere cursum, id est, lauū, illo semper in dexterā præcipiti. Et quamuis assidua conuersione immensa celeritatis attollantur ab eo, rapiaturq; in occasum, aduerso tamē ire motu p̄ suos quæq; passus: ita fieri, ne cōuolutus aer, eandē in partē, æterna mundi vertigine, igna uo globo torpeat, sed findatur aduerso siderū verberē discretus et digestus. Saturni autē sidus gelidæ ac rigētis esse naturæ, multoq; ex eo inferiorē Iouis circum, & ideo motu celeriori duodenis circūagi annis. Tertium Martis, quod quidā Herculis vocant, ignei, ardetis à solis vicinitate, binis fere annis cōuertit. Ideoq; huius ardore nimio, et rigore Saturni, interiectū ambobus, ex utroq; tēperari Iouē, salutarēq; fieri. Dein de solis meatum esse partium quidē trecentarū sexaginta: sed vt obseruatio v̄mbrarū eius redeat ad notas, quinos annis dies adijci, sup̄q; quartā partē diei. Quā ob causam quito anno unus intercalaris dies additur, vt tēporū ratio solis itineri cōgruat. Infra solē ambit ingēs sidus appellatum Veneris, alterno meatu vagū, ipsiq; cognominibus emulū solis ac lunæ. Præueniens quippe & ante matutinum exoriens, luciferi nomē accipit, vt sol alter, diem maturans: contra ab occasu resurgens nuncupatur Vesper, ut prorogās lucem, vicemq; lunæ reddens. Quam naturam eius Pythagoras Samius primus depræhendit, olympiade circiter quadragesima secunda, qui fuit vr̄bis Romæ annus centesimus quadragesimus secundus. Iam magnitudine extra cuncta alia sidera est: claritatis quidem tanta, vt vnus huius stelle radijs v̄mbra reddantur. Itaque & in magno nominum ambitu est. Alij enim Iunonis, alij Isis, alij Matris deum appellauere. Huius natura cuncta generantur in terris. Nanq; in alterutro exortu genitali rore cōspersgens, nō terræ modo cōceptus implet, verum aīantium quoq; oīum stimulat. Signiferi autem ambitum peragit trecentis & duodequingenis diebus, ab Sole nunquam absistēs partibus sex atq; quadraginta lōgius, vt Timæo placet. Simili ratione, sed nequāq; magnitudine aut vi, proximum illi Mercurij sidus, à quibusdam appellatum Apollinis, inferiore circulo fertur nouem diebus ocycore ambitu, modo ante solis exortum, modo post occasum splēdens, nunq; ab eo viginti tribus partibus remotior, vt hic idem & Sosigenes docēt. Ideo & peculiaris horum siderum ratio est, neq; cōmunis cum

supradictis. Nanque ea & quarta parte cæli à sole abesse & tertia, & aduersa soli sepe cernuntur, maioresque alios habent cuncta plenæ conuersionis ambitus, in magni anni ratione dicendos.

De lunæ natura.

CAP. IX.

Ed omnium admirationem vincit nouissimum sidus, terrisq; familiarissimum, et ī tenebrarum remedium ab natura repertum, lunæ. Multiforū hęc ambage torfit ingenia contēplatiū, et p̄ximū ignorari maxime sidus indignatiū, crescens semper aut senescēs. Et modo curuata in cornua, modo æqua portione diuisa, modo sinuata in orbem, maculosa, eademq; subito prænitens, immēsa orbe pleno, ac repente nulla: alias pernox, alias sera, & parte diei solis lucem adiuuans: deficiens, & in defectu tamē cōspicua, * qua mensis exitu latet, cum laborare non creditur. Iam vero humilis & excelsa, et ne id quidem vno modo, sed alias admota cælo, alias contigua montibus: nunc in aquilonem elata, nunc in austros deiecta: quæ singula in ea depræhendit hōiū primus Endymion, & ob id amore eius captus fama traditur. * Non sumus profecto grati erga eos, qui labore curaq; lucem nobis aperuere in hac luce: mira q; humani ingenij pestē, sanguinem & cædes condere annalibus iuuat, vt scelera hominum noscātur mundi ipsius ignaris. Proxima ergo cardini, ideoq; minimo ambitu, vicenis diebus septenisq; & tertia diei parte peragit spatia eadē, quæ Saturni sidus altissimum triginta (vt dictum est) annis. * Deinde morata in coitu solis biduo, cum tardissime, a tricesima luce rursus ad eadē vices exit: haud scio an omnium quæ in cælo pernosci potuerunt magistra. In duodecim mensium spatia oportere diuidi annum: quando ipsa toties solem, redeuntem ad principia, consequitur. Solis fulgore eam vt reliqua sidera * tegi. Siquidem in totum mutuata ab eo luce fulgere, qualem in repercussu aquæ volitare conspiciamus. Ideo molliore & imperfecta vi soluere tantum humorem, atq; etiam augere, quem solis radij absument. Ideo & inæquali lumine aspici: quia ex aduerso demum plena, reliquis diebus tātum ex se terris ostendat, quantum ex sole ipsa concipiat. In coitu quidem non cerni, quoniam haustum omnem lucis auersa illo regerat, vnde acceperit. Sidera vero haud dubie humore terreno pasci, quia orbe dimidio * nonnunquam maculosa cernatur, scilicet nondum suppetēte ad hauriendum vltra iusta vi. Maculas enim non aliud esse, quam terræ raptas cum humore sordes.

De defectu solis & lunæ, & de nocte. CAP. X.

Effectus autem suos et solis, rem in tota cōtemplatione naturæ maxime miram, & ostēto similitē, eorum magnitudinum v̄mbra q; indices existere. Quippe manifestum est solē īteruētū lunæ occultari, lunāq; terræ obiectū: ac uices reddi, eosdē solis radios luna īterposito suo auferēte terræ, terrāq; luna. Hac subeūte repētias obduci tenebras, rursūq; illius v̄mbra sidus hebetari. Neq; aliud esse noctem, quam

* quin iam

* Ne simus profecto in grati erga eos

* Dein remorata

* regi

* nūquam non

* Cresias & Sosigen.
* statio

4 2 quam